DE REVULSIONIBUS ET DERIVATIONIBUS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XII. M. OCTOBRIS A. MDCCCXLIX.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

SIMON GOLDSTEIN

GALIZIENSIS.

OPPONENTIBUS:

A. STRAUSS, med. et chir. Dr., med. pract.

A. PHILIPP, med. et chir. Dr.

G. WIENER, med. et chir. Dd.

BEROLINI,

TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

NEC NON

VIRO

DOCTISSIMO PERITISSIMO

CHAUFEPIE SEN.

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO PRACTICO
APUD HAMBURGENSES

FAUTORIBUS MAXIME VENERANDIS

HASCE

QUALESCUNQUE PAGELLAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

INTRODUCTIO.

Alia est etymologica verborum „revellere“ ac „derivare,“ alia autem ea notio, quam pathologi iis indiderunt, quid enim significant aliud, quam organi aut systematis alicujus aegrotationem ita diminuere, ut partis aut loci alius ejusque distantis affectio remediis efficiatur istaque ratione fomes seu pabulum priori morbo detrahatur. Compertum autem habemus, pathologos discrimina quaedam inter revulsionem et derivationem proposuisse, quae breviter examinare liceat. Revellere enim dicunt; incitamenta morbifica non solum ab organis aegrotantibus abducere, sed ad certum locum simul deducere, ut actio ibi suppressa, sive physiologica sive pathologica, instauretur; derivare autem, stimulos morbosos parti affectae subducere et vel ad alium locum ignobiliorem devehere, ut novus ibi processus pathologicus evocetur, vel ex ipso organismo exterminare. Quam notionem si sequimur, venaesectio, ut exemplo utamur, post menses suppressos in pede instituta inter revulsorias, in brachio autem administrata ad frangendam pneumoniam, inter derivatorias referenda est. Veteres utramque notionem minus dilucide exposuerunt; auctore enim

Galeno (De hirudin. revuls. lib. cap. 3.) „revulsio seu antispasis dicitur retractio humoris fluentis et aversio in contrariam partem, cujus sunt species quatuor pro positionum differentiis; nam revulsio fit aut ab inferiore parte ad superiorem, aut a dextra ad sinistram, aut ab anteriore ad posteriorem, aut ab interiore ad externam.“ Derivatio eodem auctore (Method. medend. Lib. IIIt cap. 3) vocatur,“ quando humor aliquis evacuatione indigens, si per convenientem locum fieri nequit, artis auxilio evacuatur per proxima, e. gr. si per urinae vias propter laesam vesicam aut renes educi nequeat serosus humor, per alvum educendus.“ Alii discrimen inter revulsionem et derivationem in eo tantum cerni existimant, prout vel internis vel externis remediis utamur. Perlewitz (De revulsionibus ad cutem. Dissert. inaug. Berol. 1826. §. 1) „omnes definitiones, inquit, quas professores artis salutaris de methodi utriusque diversa indole ediderunt, adeo nobis displicent, ut nullam plane differentiam agnoscere gestiamus, nisi quae in ipsis remediis intus extrinsecusve adhibitis cernatur.“ Quod ad nos pertinet, etymologicum quidem agnoscimus inter revulsionem et derivationem discrimen, in medicina autem utramque vocem saepe promiscue adhiberi, quoniam certus limes constitui nequeat, ingenue profitemur.

Cap. I.

PARS GENERALIS.

Medendi ratio, quae derivatoriae aut revulsoriae nomine designatur, cum singulari quodam organo aut systemate necessitudinem alit, quamobrem praecipue morbi locales, universales autem eatenus tantum ad illam methodum opportuni sunt, quatenus partis alicujus functiones prae ceteris turbatae apparent, ut cerebri in febribus nervorum in morbis nervosis, vasorum sanguiferorum et cordis in morbis inflammatoriis. Quibus elucet, derivationis seu revulsionis notionem peramplam esse, non solum igitur quaeque pars corporis singularis, si aegrotat, medendi methodo derivatoriae potest submitti, sed etiam omnes morbi simplices, vel, ut alio nomine utar, morborum compositorum elementa, e. gr. dolor, spasmus, congestio sanguinis, vitiosae secretiones, imo ipsi morbi compositi, ut inflammationes, ubicunque sedem habeant, provocata affectione pathologica partis aut loci alius feliciter saepe debellantur. Omnes medendi rationes, omnia medicamenta in organismum ingesta, qualemcunque praestent effectum, ex parte quadam derivationem sistunt, etenim nulla possunt cogitari, quae non hanc illamve corporis partem, aut totam provinciam prae ceteris petant eoque modo aliud organon aut systema aegrotans, quod cum

illis commercium alit, in integrum restituere aut sublevare valeant. Cujus sententiae veritas in posterum fortasse magis illustrabitur, si simplices status morbosi remediorumque effectus principiis physiologicis et pathologicis melius erunt explicati, nam ipsa natura in multis morbis curandis derivatione utitur. Non errant, qui derivationis notionem ad consensum et antagonismum referendam existiment, notae enim leges consensus et antagonismi cum scientia nostra, quae de remediorum derivantium effectibus nobis contigit, probe conciliari possunt. Haec, ut multi contendunt (Hecker, in Rust's Handbuch d. Chirurgie. Bd. I. S. 25), essentialis est pars scientiae et dexteritatis medicae et jam Fr. Hoffmann persuasum habuit, totam medicorum praxin superstrui debere cognitioni rationum consensualium singulorum corporis systematum atque organorum. Quum vero leges sympathiae prioribus temporibus secundam systemata dynamica, inprimis secundum excitationis theoriam, quae nihil nisi Brownianismum amplificatum exhibet, definiri solerent, derivationis quoque leges inde profluentes ad illa systemata adaptandas esse arbitrabantur. Placitis illis antiquis addicti: „irritatio attrahit" et „debilitas attrahit," tantum sensibilitatis, irritabilitatis, incitabilitatis aliarumque notionum vagarum rationem habuerunt, quae notiones, etsi multo ingenii acumine possim explicatae, opinioni praeconceptae innitebantur, vitae manifestationes ad quantitativas rationes posse reduci et in morbis universalibus sic dictis semper eandem vitae modificationem, incitabilitatem vel adauctam vel diminutam, in toto organismo locum habere.

Altera parte nec functionum singularum indolem, neque earum mutationes diversissimas, quae morbis inducuntur, pen-

sitabant, quo factum est, ut derivationem irritationis et congestionis notione maximam partem comprehendi judicarent, irritamenta morbosa ab organis nobilioribus ad ignobiliora, aut sanguinis impetum ad partes remotiores deduci dicentes. Quodsi autem in organismi naturam accuratius inquirimus, si totam ejus oeconomiam perspicimus, sententiam illam repudiandam censebimus. Unusquisque status morbosus, tam simplex quam ex pluribus elementis compositus, ubicunque sedem habeat, inducta excitatione vel simili vel dissimili derivari potest, ut dolor dolore, inflammatio inflammatione, suppuratio suppuratione etc. Non sola est irritatio aut debilitatio localis, de qua hic agitur. Proinde facile est intellectu, doctrinam de revulsionibus et derivationibus universae pathologiae et therapiae aream attingere, nam quaecunque de morbis simplicibus et compositis, de functionibus normalibus et alienatis, de medendi experimentis etc. novimus, cum hac doctrina intimam alunt necessitudinem. Unumquodque conamen therapeuticum, ut supra adnotavimus, quadantenus derivatorium appellari potest, sensu tamen strictiore ea tantum remedia derivantia nuncupamus, quorum virtus derivatoria ita praevalet, ut reliqui effectus huic longe postponendi sint. In universum derivatio dynamica a materiali potest discerni, sed eatenus tantum, quatenus haec divisio naturae consentanea ad alias etiam notiones transfertur, etenim processus mere dynamici aut mere materiales in vivo corpore non occurrunt, sed alterutra tantum ratio praevalere potest. Dynamice omnis nervorum affectio derivat, quae non immediate reproductionem offendit, ergo sensuum impressiones, dolor, nausea, animi pathemata cujusvis generis. Derivatio per conditiones psychicas, quae propria vi

ethica aegrotantium evolvuntur, omnibus in morbis efficacissima est. Sola jam attentio, si in objecto aliquo defigitur, dolorem aliasque morbosas sensationes diminuit, itaque processibus pathologicis, qui in aliis systematibus nidulantur, pabula detrahit. Animi energia haud raro in periculosis morbis mira, imo incredibilia, praestat, id quod multis exemplis ab experientia desumtis comprobatur. Inter omnes satis constat, firmo et intrepido animo interdum adeo materiales affectiones restringi morborumque insanabilium exitum funestum per longum tempus inhiberi posse. Animus vel exaltatus vel depressus corporis morbos excitat aut exasperat, animus vero compositus, energiae suae memor, vitae organicae leges disponit, ordinat, periculum avertit. Ut derivantes conditiones psychicas inducamus, partim consolationes, partim sensuum, inprimis auditus, impressiones idoneae sunt, etenim quantum efficacitatis musice in aegrotantes, praesertim nervorum morbis laborantes, exserat, neminem fugit (Cf. Steinbeck, de musices atque poëseos vi salutari. Dissert. inaugural. Berolini 1826).

Impressiones visus multo minus salutarem exserunt effectum, nec nisi in chronicis nervorum morbis, at magna cum providentia, adhibendae sunt. In morbis febrilibus facile objectorum insolitorum et picturarum adspectus imaginationem exaltat et deliria efficit, quare jam Antyllus monet, ne febricitantes in conclavibus pictis detineantur. Ad inducendam derivationem per coenaesthesin, potentissimum sed a recentioribus fere neglectum remedium exhibent frictiones, quibus veteres plurimis in morbis egregio cum fructu utebantur (Cf. Hirsch Marcus Cohen, de frictionum usu apud veteres. Diss. inaug. Berol. 1820). Frictiones, si de mechanico earum

effectu discesseris, maxime agunt in nervos periphericos, itaque stimulos morbificos ab internis partibus derivant, fortasse per magnetismum animalem, aut per agens illud incognitum, quod alter organismus contactu immediato ad alterum transfert. Aliud derivans dynamicum magnetismus mineralis praebet, qui pariter atque electricitas et galvanismus, salutarem nervorum alterationem proferre valet, id quod Becker (Der mineral. Magnetismus u. seine Anwendung in der Heilkunst. Mühlhaus. 1829) perbene exposuit. Multo autem majorem celebritatem nuperiore aevo electro-magnetismus sibi peperit multique medici persuasum habent, morbos quosdam sine apparatu rotatorio vix posse sanari. — Plurima derivantia, quae non mere dynamicam efficacitatem exserunt, dolorem considerari jubent, quippe qui aegroti attentionem ad locum affectum advertat, et impressio, quam cum nervorum systemate communicat, ad auferendos vel demulcendos ejusdem motus morbosos aptissima est. Castigatio gravior, cui infantes submittuntur, haud raro enuresin, somnambulismum aliasque nervosi systematis affectiones depellit. Inprimis nervorum motoriorum morbi hac ratione possunt debellari, nam antagonismus eorum cum nervis sensiferis perspicuus est, id quod paralysium sanationes spontaneae confirmant; quodsi nimirum dolores in resolutis partibus exoriuntur, valetudinis reditum certo sperare possumus. Nauseatio etiam, quae ventriculi cum reliquis organis nobilioribus consensu nititur, derivationibus dynamicis adnumeranda est. In amaurosi pilulae nauseantes omnibus aliis remediis internis palmam praeripiunt et orchitis chronica refractis ipecacuanhae dosibus saepe debellatur; eadem ratione salutiferae virtutes parvarum ipecacuanhae dosium ad sedandam haemoptysin ex-

plicandae sunt; quid quod medici Pragenses eadem methodo pneumoniam optime profligari contendunt!

De morbis, qui derivantium et revellentium remediorum usum admittunt vel exigunt, generatim haec praecipienda sunt: omnes affectiones, nominatim topicae, quae nec manifeste hypersthenicam nec asthenicam indolem portendunt, prae ceteris hanc methodum administrari jubent, neque minus eae, quae aliis medendi rationibus frustra impugnatae sunt. Hinc pediluvia tepida, sinapismi ad suras applicati et similia in omnibus capitis et pectoris morbis, quorum hypersthenica aut asthenica natura manifesta non est, vel qui aliis curandi methodis restiterunt, egregium auxilium praestant.

Eodem modo revulsionibus opus est, si secretio quaedam naturalis aut habitualis recessit, praecipue talis, quae in materiarum organicarum mixtionem, aut in systematis nervorum temperiem haud exiguam efficacitatem exserit. Summatim omnes morbos huc pertinere fatebimur, qui ex oppressa cutis perspiratione, repulsis exanthematibus, ulceribus repente exsiccatis, retentis alvi excretionibus, diuresi, blennorrhoeis, ptyalismo aliisque profluviis originem ducunt. Altera autem parte cautelae quaedam negligendae non sunt. Exorbitante enim vi vitali, derivantia et revellentia irritantia oportet vitari, ne stimulus stimulo addatur; inflammatio acuta dum exstat, a vesicatoriis et similibus revulsivis abstinendum est. Haud minus debilitatis major gradus vetat, ne derivantia profusas secretiones provocantia adhibeantur, etenim debilitatis gradum adaugent. Maxime tamen interest, quis hypersthenlae aut debilitatis gradus sit et quaenam ratio inter primariam affectionem et revulsoriam locum habeat. Fieri interdum so-

let, ut morbus hypersthenicus post suppressam actionem antagonisticam in organon nobilius invadat et vitae periculum inferat; quod si est, derivatio ad partem ignobiliorem, quanquam novum suppeditet irritamentum, plurimum utilitatis praestare potest, quoniam pabuli aliquid morbo primitivo detrahit ejusque violentiam frangit. Sive autem nimium vis vitalis augmentum, sive ejus debilitas effectum derivationum ancipitem reddere potest, providere semper debemus, ut damna hanc methodum excipientia internis remediis compensantur. Haud raro igitur evenit, ut, si derivantibus ad demulcendam alicujus organi irritabilitatem usi sumus, roborantia simul, ad sustentandas vires, exhiberi debeant. Derivatio semper ad eam instituatur partem, quae cum aegrotante maximam alit necessitudinem, vel ad eam, quae suppressae cuidam actioni praefecta est. Quoad fieri potest, ea actio excitetur revulsione, quae cum suppressa maximam habet similitudinem; ulcere e. gr. suppresso, ulcus artificiale formetur. Ad derivandos morbos suppressam transpirationem excipientes non semper sufficit, ut cutis actio instauretur, sed eadem affectio, quae repercussa est, reparetur oportet, e. g. morbus exanthematicus. Mirifica naturae institutione ita comparatum est, ut morbus oppressa cujusdam organi functione inductus tolli nequeat, nisi derivatio ad certam fiat locum ipsaque actio repressa instauretur, id quod haemorrhoidum, catameniorum, sudorum localium etc. supprêssio et restitutio confirmant.

Cap. II.

PARS SPECIALIS.

De revellentium aut derivantium remediorum distributione in dynamica et materialia, nec non de illorum actione, jam in primo capite sermonem fecimus; proximum igitur est, ut de materialibus nunc disseramus; antea autem de variis divisionibus nonnulla apponere liceat.

Leidenfrost quinque distinxit classes, quarum numerum alii auxerunt, alii restrinxerunt; dividendi autem principium, quo usi sunt, non semper tam firmum et evidens est, ut singulae classes certis criteriis inter se differant. Frid. Hufeland omnia revellentia aut stimulos topicos praebere, aut relaxationem inducere, aut denique evacuationes efficere censet. Topicorum incitamentorum classis perampla est, nam vel levius irritant, neque cutis inflammationem, neque bullas evocant, ut cucurbitulae siccae, frictiones, balnea calida, vel cutis ruborem et superficialem inflammationem excitant, ut frictiones fortiores aut diuturniores, infrictiones humorum aut unguentorum acrium, urticatio, sinapismi, embrocationes, vel in cutis superficie bullas, vesiculas, pustulas gignunt, ut unguentum et emplastrum cantharidum, cortex mezerei, unguentum tartari stibiati, vel denique integumenta communia, interdum adeo partes altiores adurunt, destruunt, suppurationem inducunt, ut ulcera artificialia, cauteria potentialia et actualia.

Quibus expositis, derivantia et revellentia materialia deinceps describere conabimur.

Transitum a dynamicis ad materialia auctore Hecker (A. a. O. S. 31) emetica et purgantia faciunt, quibus non

solum nervi ventriculi et intestinorum alterantur, verum etiam secretio insolita evocatur. Qua multiplice affectione totus concutitur organismus, morbi topici diversissimi derivantur et reproductio per omnes dimensiones singulari mutatur ratione, qua corpus ad inducendas criticas actiones invitatur. Multae res in facto positae nobis persuadent, quantum utilitatis emetica in morbis rheumaticis, arthriticis, nervosis, in multis febribus gastricis, in morbis quibusdam pulmonum chronicis praestare possint. Secretio gravissima, quae adhibito emetico criticam dignitatem obtinet, cutis transpiratio est., sed aliae quoque secretiones incitantur, e. gr. bronchiorum, quo fit, ut expectoratio, in pulmonum morbis multis saluberrima, promoveatur. Ut derivatio dynamico-materialis ad tubum intestinalem inducatur, purgantia efficacissima sunt, nam praeter motum peristalticum adauctum, qui alacriorem systematis gangliorum actionem supponit, larga secretio tunicae intestinorum mucosae existit, quae, si probe gubernatur, facile in crisin artificialem vertitur et ad corrigendam vitiosam humorum mixtionem plurimum valet. Neque de saluberrima derivatione, quam purgantia in morbis nervorum chronicis praestant, neque de criticorum alvi profluviorum dignitate generatim hic agitur, sed in morbis dyscraticis et cachecticis, ut scrophulosi, rhachitide, arthritide, hydropsiis, imo in omnibus, qui cum praevalente oeconomiae animalis alienatione conjuncti sunt, materialis illa derivatio maximi est momenti. Haud dubie igitur alvi purgationes essentialem illius curationis, quae inedia vocatur, partem constituunt, id quod Rust, experientiae testimoniis suffultus, magno ingenii acumine exposuit. Quae curatio si reproductionem ad minimum gradum redegit, natura

per metamorphosin retrogradam primum vitiosas materias eliminare conatur et hunc ad finem cutis transpiratione et alvi excretione utitur (Rusts Magazin für die ges. Heilkunde. Bd. I. Hft. 3. S. 354 ff.). Haec alvi purgationum efficacitas ad impetrandam derivationem materialem minime a gastropathologis saeculi superioris vindicata est, sed a primis inde artis salutaris incunabulis innotuit, attamen Stoll ejusque sectatores, quanquam modum passim excesserunt, hac de re egregie promeruerunt. Salia laxantia ad tubum intestinalem derivare, nemo non intelligit, errare tamen videntur, qui effectum eorum refrigerantem a sola fere derivatione repetendam esse censeant, quam sententiam Hecker etiam profitetur (A. a. O. S. 33): „omnia enim, inquit, salia antiphlogistica insolitam tractus intestinalis actionem evocant, etiamsi alvum non fusam reddunt; qui haec remedia debilitando in intestina agere putant, perperam judicant, incitamenta enim fortissima exhibent, quae nimio tantum aut diuturniore usu relaxationem tandem inducunt, quam unicuique excitationi succedere videmus. Et haec quidem excitatio est, quae per sympathiam tubi intestinalis cum toto fere corpore in morbis partium remotiorum effectum saluberrimum praestat solaque derivatione agit.“ Salia purgantia antiphlogistica initio localem intestinorum irritationem efficere eorumque serosas secretiones adaugere, inter omnes constat, non minus autem certum est, topicam irritationem esse transitoriam, saliaque illa, si in vias secundarias transierint, sanguinem temperare, orgasmum ejus coercere totumque circuitum moderari, quibus effectibus magis quam locali intestinorum irritationi vis eorum salutaris in morbis inflammatoriis deberi videtur. Quodsi enim sententia

altera vero consentanea esset, interrogare liceret, quidni alia purgantia, tubum intestinalem eodem modo aut gravius irritantia, ad derivandos morbos inflammatorios respondeant? Causam in eo potissimum cerni existimamus, quod effectibus illis secundariis temperantibus, sanguinis orgasmum coercentibus, destituantur, imo vero, ut purgantia drastica, contrariam actionem praestent, calefaciant, sanguinis impetum augeant, ut paucis dicam, antiphlogistica virtute prorsus careant. Non possumus, quin tartari stibiati mentionem hic faciamus, qui praeter alios effectus manifestissimam ad tubum intestinalem derivationem causatur et respirationis organorum inflammationibus egregie medetur; sunt adeo, qui contendant (Laennec), si tartari stibiati efficacitas in pneumoniis sese promat, exacerbationes non amplius esse metuendas. Auctor majorum tartari stibiati dosium est Rasori, cujus methodum Peschier, quem nostrates fere omnes sequuntur, mutavit. (Plerumque tartari stib. gr. vi aquae destill. ℥vi solvuntur dimidiaque pars una vice, altera pars cochleatim aegrotis exhibetur). A salibus purgantibus gradum faciamus ad clysmata ex acribus substantiis parata, quae, irritationem satis potentem efficiendo, partium remotiorum affectiones derivant motusque criticos salutares saepe inducunt. In morbis febrilibus enematum acrium usu nonnunquam cutis sicca ad transpirationem, exanthemata retardata ad eruptionem promta redduntur. Totius tubi intestinalis actio, et irritabilis et reproductiva, clysmatibus acribus, nec non suppositoriis, incitatur simulque, si medicatae substantiae in iis insunt, harum resorptio consideranda venit, quae tanti momenti habebatur, ut veteriorum multi helleborum album suppositoriis adderent. Nostro aevo in-

primis clysmata derivantia ex infuso foliorum nicotianae, aut ex aceto (Autenrieth) magnam sibi pepererunt famam. — Non plane silentio praetereunda sunt sternutatoria, quippe quae in variis capitis oculorumque morbis chronicis, praesertim paralysibus, multo cum fructu adhibeantur et ita quidem agant, ut ad tunicam narium pituitariam derivando partim muci secretionem uberiorem, modo intensam nervorum irritationem efficiant.

Omnia, quae hactenus enumeravimus derivantia atque revellentia, oblatis conditionibus suam habent dignitatem, longe autem frequentissimus eorum usus est, quae ad cutem applicari solent. Quorum blandissima balnea tepida et frictiones habenda sunt, de quibus jam in capite superiore nonnulla diximus, dicta igitur hic repetere nolumus. Disseramus primum de rubefacientibus et vesicantibus, quorum effectus cum processu exanthematico, nec non cum abscessibus et ulceribus sua sponte exortis, comparari potest, quibus natura ad eliminandas quasdam materias utitur. Rubefacientia non modo irritationem et inflammationem superficialem, interdum cum secretione inducunt, sed etiam totam cutem ad sudores criticos opportunam reddunt. Ordiamur ab embrocatione (duccia), cujus indoles in eo est, ut aqua vel frigida vel fervida per siphonem cum violentia quadam ad unam pluresve corporis partes impellatur, quo fit, ut sanguinis impetus ad has partes concitetur, turgor vitalis atque vigor augeatur. Finita embrocatione cutis plerumque floridum ruborem ostendit, qui serius ocius evanescit. Irritationis et derivationis universalis causa embrocationes adhiberi solent in mania, melancholia aliisque animi alienationibus, topicae gratia autem in cephalalgia vehemente ac perti-

naci; plurimum tamen utilitatis partibus resolutis suppeditant; eaedem ad dissipandas glandularum indurationes et articulorum rigiditatem administrantur. Impluviationes et stillicidia similem, sed blandiorem, effectum exserunt, quare usus eorum minus communis est. Inter rubefacientia sensu strictiore primum semina sinapis contusa et radix armoraciae pertinent; vis irritans et derivans principio acri (oleo aethereo) debetur. Sinapismis nonnunquam ad augendam efficacitatem admiscetur fermentum; nostro autem tempore sinapismorum loco plerumque spiritus sinapis (gutt. xxiv olei sinap. ad ℥i spiritus vini) adhibetur, quippe qui non modo promtius irritet, sed quoque praeparatione longiore haud indigeat, nam chartae bibulae cinereae affusus iterum iterumque, prout opus est, renovari queat; ceterum hic spiritus neque refrigerat partes, quibus admovetur, neque propter citam evaporationem humectat. Huc etiam pertinent vapores aquae ferventis, ad partem aegrotantem, vel ad remotam, per Dzondii machinam deducti (Dzondi, die Dampfmaschine, eine Anweisung, den Strahl heisser Dämpfe zu ärztlichen Zwecken anzuwenden. Halle 1821); neque minus urticae recentes in fasciculos collectae, quibus partes caeduntur; utrumque remedium inprimis ad resolutas partes applicatur. Urticatio, quanquam vesiculas aut potius papulas excitat, magis tamen rubefacientium quam vesicantium effectus imitatur. Vesicantia majorem habent efficacitatem, bullae enim, quas proferunt, pustulosis exanthematibus analogae sunt, quia praeter inflammationem, quam pariter ac rubefacientia inducunt, secretio serosa, interdum puriformis, consideranda venit, quae metastatica quasi et in rheumaticis, catarrhalibus aliisque affectionibus maxime salutifera est. Omnium vesicantium usitatis-

simum cantharides exhibent, quarum usum jam **Aretaeus** in medicinam introduxit. Formae, quibus applicari solent, sunt emplastrum cantharidum ordinarium et perpetuum, unguentum et tinctura cantharidum, in quibus omnibus inest cantharidinum, principium volatile acerrimum, fere camphoraceum. Cantharides externe adhibitae non modo cutem, sed etiam totum nervorum et vasorum systema afficiunt: faucium siccitatem, sitim, renum dolores, stranguriam et ischuriam evocant, quam ob causam nunquam sine debita circumspectione administrari debent. In genere vesicatoriorum effectus his complecti possumus: ruborem, irritationem, inflammationem topicam excitant, quibus excoriatio cutis et suppuratio aliqua succedit, stimulo deinde consensuali resorptionem adaugent, organa uropoëtica et sexualia irritant. A cantharidibus, si agendi rationem spectamus, proxime abest unguentum tartari stibiati, seu Autenriethii, quod summa praeditum efficacitate pustulas variolis aliquanto similes, valde dolorificas, evocat, quare a nonnullis unguentum Martyrum appellatum est. Autenrieth primum in tussi convulsiva hoc unguentum adhibuit et regioni praecordiali jussit infricari, ad derivanda irritamenta morbosa, quae in nervi pneumogastrici ramificationibus posita existimavit. In ejus locum alii, ut Kopp (Beobachtungen im Gebiet der ausübenden Heilkunde. Frankfurt 1821), unguentum hydrargyri album substituerunt, quo infricato, locus serico cerato obtegitur et infrictio repetitur, donec multae pustulae parvae oriantur, quarum numerus, prout res expostulat, magis magisque augetur et suppuratio subsecuta imposito serico cerato sustentatur. Laudatur inprimis ad inhibendos chronicos laryngis morbos et Brodie extractum digitalis ei addidit. Cortex

quoque mezerei cantharidibus non absimilis, acerrimus, quandoque tamen anceps remedium est, quo homines aridi, macilanti, tabescentes nunquam, sensibiliores autem et ad nervorum morbos opportuni non sine magna providentia uti debent. Vel cortex recens, vel siccatus et aceto imbutus applicatur, qui ardorem inimicum et pruritum partis, cui imponitur, efficit et epidermidem elevat. Irritatio major dolorque atrocior, quam emplastro cantharidum excitatur, effectus tamen tardior est, plerumque enim ante quartam et vicesimam horam non apparet. Saepius applicatio repetatur oportet, si ulcus artificiale exstruere conamur, sin minus, sericum ceratum superinjiciatur loco irritato, donec secedat cuticula. Nova Pharmacopoea Borussica unguentum mezerei (Extract. mezerei ʒj, unguent. cerei ℥i) obtulit, quod in corticis locum apte substitui potest. Praeterea varia unguenta metallica, irritantem habentia indolem, ut unguentum hydrargyri rubrum, unguentum zinci etc. eundem in finem posse administrari, dubitandum non est.

Superest, ut de efficacissimo derivantium genere, de cauteriis ulcera artificialia inducentibus, sermonem faciamus, quan quam non semper causticis, sed interdum cultro, vel acu (ad trajiciendum setaceum) utimur. Processus therapeuticos, quem suppurationes artificiales absolvunt, in multis morbis periculosis saluberrimus est; locus enim cutis suppurans portam quasi constituit, per quam vitiosa humorum additamenta, imo interdum contagia fixa, eliminantur et ubicunque sanguinis aliorumque fluidorum corruptela exstat, natura per organon secretorium pathologicum facillime aliena exterminat. Quibus explicatur, cur suppuratio prophylacticum hydrophobiae et aliorum morborum sit remedium, cur ulcerum habitualium intempestiva

aut repentina suppressio tanta detrimenta et pericula inferre queat. Quemadmodum autem omnium paene remediorum, tam pharmaceuticorum quam chirurgicorum, adversarii exstiterunt, ita etiam ulcera artificialia multum vituperii experta sunt: sin vero argumenta ab adversariis prolata meditamur, nonnulla quidem probabilitatis speciem aliquam prae se ferre videntur, revera tamen non ferunt, nam falsis superstructa sunt principiis. Primum medici quidam Galli sese observasse perhibent, derivationes ad cutem, quae cum suppuratione intensam moveant inflammationem, eatenus nocere, quatenus decursu longiore facile inflammatoriam affectionem organorum internorum evocent. Inflammationes generatim proclivitatem habere adnotant, sese multiplicandi et Dupuytren apud homines morbis externis peremtos semper complures inflammationes internas se invenisse tradit. At haec sententia observationibus sufficientibus minime est comprobata. Porro ulcera artificialia, ajunt, si semel instituta sint, non sine corporis damno, imo vitae periculo posse suspendi, sed totam per vitam alenda esse. Quae si vera essent, a sanatione cujusvis ulceris inveterati, ergo habitualis, abstinendum foret; experientia vero omnium saeculorum nobis persuadet, unumquodque corporis ulcus, sive natura sive arte inductum, sine organismi detrimento ad sanationem adigi posse, dummodo corporis assuetudo, sicut paulatim exoriebatur, ita etiam sensim deleatur causaeque internae ulcus alentes auferantur. Certo igitur constat, fonticulum sublatis causis, quae ejus applicationem exigebant, citra periculum ad conglutinationem posse perduci. Duae igitur conditiones pensitandae sunt, si de ulceris artificialis sanatione agitur: valetudo corporis universi et ulceris

indoles, si enim illa ita se habet, ut neque vitium apertum, neque proclivitas ad reversiones animadvertatur, ulcus sanare licet; si ulcus malignum edit secretum, nulla arte corrigendum, claudatur quidem, sed alia medicamenta, diathesin corporis pyscraticam impugnantia, adhibeantur oportet.

Praesidia, quibus ulcera artificialia perficiuntur, triplicis generis sunt: cauterium potentiale, actuale, culter. Inter potentialia cauteria vesicantium nonnulla pertinent, ut canthari-des, unguentum tartari stibiati, cortex mezerei, saepe tamen fortiora caustica in usum vocari solent, quae effectus ratione habita in relaxantia et consolidantia seu adstringentia dividi possunt (Jahn, pract. Materia medica. Bd. I. S. 63). Illa, quibus alkalia caustica, hydrargyri et stibii praeparata corrosiva, arsenicum, euphorbium adnumerantur, in telas organicas altius penetrant, cohaesionem earum diminuunt, escharam gangraenosam humidam et mollem cum subsequente profusa secretione, sed laxa et molli granulatione, inducunt; haec autem (consolidantia) minus alte drscendunt, cohaesionem telarum adaugent, escharam sphacelosam siccam, solidam, suppurationem parciorem at spissiorem cum bona et firma granulatione efficiunt; his interponi solent argentum nitricum, cupri et zinci praeparata caustica, alumen ustum, acida mineralia concentrata. Quae quum ita sint, ex singulari rerum conditione metiri debemus, utrum cauterio relaxante, an consolidante utendum sit. Quodsi cauterium potentiale liquidum est, penicillo illinatur, sin solidum, ut argentum nitricum aut kali causticum fusum, emplastrum fenestratum loco debito imponatur et cauterium redigatur in pulverem, qui paululum humefactus per fenestram inspergatur, linamento obtegatur et re-

linquatur, donec effectum exoptatum praestiterit, qui modo promtior modo tardior esse solet; rarius quidem repetita cauterii inspersione opus est. Si hydrargyro bichlorato corrosivo sumus usuri, epidermidem partis adurendae imposito emplastro vesicatorio attollamus oportet. Ad potentialia cauteria praecipue confugimus, si vel diuturniorem molimur irritationem, vel corpora aliena, ut venena et contagia, vel directe vel indirecte, i. e. provocata suppuratione, delere studemus. Actuale cauterium, quod in moxa et ferro candente cernitur, non modo communes cauteriorum effectus, sed etiam peculiares nonnullos exserit. Ignis enim, si partem adgreditur, celerrime stimulum per totum fere corpus diffundit et vim vitalem ad majorem evehit gradum, aliquamdiu autem post rursus decrescere incipit vigor. Locus igne adustus arescit et escharam induit sphacelosam, sub qua inflammatio intensa evolvitur, cujus indicia quoque in superficie circa locum adustum se manifestant. Mox suppuratio exoritur, escharam sphacelosam detrudens, finitimarum partium rubor evanescit et suppuratio procedit, cujus secretum blandum et benignum pro arbitrio augeri vel diminui atque per longius aut brevius temporis spatium sustentari potest. Figura ferri candentis varia est; Rust ferrum triquetrum praefert, quippe cujus angulis striae inuri, plana facie autem fonticuli effici possint. Ubi plures fonticuli conformandi sunt, aliquot ferra in promtu esse oportet, ne uno frigefacto longius oriatur intervallum. Quanta sit ferri candentis praestantia ad inhibendos et sanandos articulorum morbos, e. gr. arthrocacen, nemo ignorat, Rustio autem maxima hac de re merita debentur. Moxae usus, ut supra obiter commemoravimus, multis terrae gentibus dudum

innotuit. Materia quaedam cremabilis, ut gossypium, lanugo artemisiae etc. in cylindrum contorquetur, filis colligatur, ne possit dilabi, tum media parte discinditur, ut plana facies cuti imponi queat; demum cylindrus cuti paululum adglutinatus et oleo vel spiritu vini imbutus incenditur atque tamdiu ignis alitur, donec in carbonem redactus sit. Si placet, cylindrus vagina metallica tenni potest circumdari. Vulnera aut moxae aut ferri candentis ope inusta plerumque nihil exigunt, quam ut linteo molli tegantur, doloribus autem tam atrocibus, ut summa tormenta aegrotis inferant, pars adusta demulcentibus remediis foveatur, ut decocto florum malvae aut seminum lini, vel oleo quodam pingui, vel unguento Stahliano, quod blandissimum esse scimus.

Restat, ut nonnulla afferamus de ulceribus artificialibus, quae cultro vel acu propria efficiuntur, de fonticulo nimirum sensu strictiore atque de setaceo, quippe quibus utamur, si diuturniorem suppurationem et derivationem sustentare, aut fluidas materias jam collectas non una vice evacuare volumus. Ad conformandum fonticulum, cutis transversa in plicam elevata perciditur scalpello, incisura linamento contorto impletur et, postquam margines emplastro adhaesivo appropinquati sunt, splenium et fascia superimponuntur. Elapsis aliquot diebus, vinctura et linteum carptum auferuntur vulnereque depurato pisum unum aut nonnulla injiciuntur, quo facto nova adhibetur vinctura. Quamdiu fonticulus viget, quovis die ligatura nova, aut, si larga suppuratio exstat, duae applicandae sunt. Simili modo administratur setaceum; cute enim in plicam allevata, vel cultellus, vel lanceola, vel acus propria trajicitur, funiculo munita e filis gossypinis aut sericeis confecto, vel habenula

lintea, dimidium circiter pollicem lata marginesque fimbriatos habente. Adhibito cultro, specillum auriculatum, funiculo aut habenula lintea instructum, per vulnus transmittitur. Brevi post inflammatio emergit et suppuratio, quae, quum vulneris ostium duplex sit, plerumque uberior apparet, quam aliorum ulcerum eandem magnitudinem habentium. Haec suppurationis ubertas nonnunquam setaceum applicari vetat, si nempe corpus morbo priore nimis debilitatum aut paene exhaustum est.

VITA.

Simon Goldstein, natus sum Lembergae m. Februario anni MDCCCXXI patre Schmerel, praematuro morte mihi erepto, matre Hanna e gente Gersonska, qua viva adhuc et incolumi laetor. A prima inde pueritia litteris hebraicis eruditus, paulo post patris mortem Wilnam profectus sum, ubi sub auspiciis cognatorum scholis hebraicis operam impendere coactus sum. Quum vero inexpugnabile studiorum sublimiorum desiderium me tentaret, cui propter singulares res familiares satisfacere non poteram, anno 1837 ad Germaniam profectus Hamburgum adii, ubi prima eruditionis litterariae elementa mihi tradebantur. Aliquanto post Hafniam petii et impetratis studiorum primordiis obtentaque maturitate, anno 1843 universitatem Hafniensem frequentavi, ubi viri nonnulli ornatissimi summa cum benevolentia me adjuverunt, quibus gratias maximas publice agere gestio.

Hafniae his lectionibus interfui: de anatomia Ill. Stein; rite dissecandorum cadaverum artem me docuit Ill. Ipsen; de anatomia organorum sensuum separatim Cel. Hannover; de physiologia Ill. Eschericht; de physice Ill. Oersted; de botanice Ill. Schouw; de chemia Ill. Scharling.

Semestri hiberno anni $18^{45}/_{46}$ Berolinum me contuli ibique rectore magnifico Ill. Hecker medicinae studiosorum numero adscriptus sum.

Berolini disserentes audivi: de encyclopaedia medica Ill. Hecker; de chemia Ill. Mitscherlich; de botanice Ill. Kunth; de physice Ill. Dove; de zoologia Ill. Lichtenstein; de logice Ill. Trendelenburg; de materia medica Ill. Mitscherlich; de anatomia pathologica Ill. J. Mueller; de pathologia et therapia speciali Ill. Romberg; de chirurgia Cel. Boehm; de arte obstetricia Cel. Schmidt; de pharmacologia Ill. Link.

Clinicis medicis interfui Cel. Wolff, Ill. Juengken, Beat. Dieffenbach, Ill. Busch, Cel. Angelstein.

Quibus omnibus viris optime de me meritis quam possum maximas ago gratias. Postremo non possum, quin amicos dilectissimos arctissime mihi junctos: bibliopolam Klein, B. Schottlaender, J. W. Heimann jun., A. Proschowfsky Hafnienses; Bandmann Dr. jur. Hamburgensem; H. Hoffbauer Berolinensem, pro servata mihi aminitia pio animo palam commemorem.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medico, atque examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

THESES.

1. In curandis ulceribus dyscrasia praecipue est respicienda.
2. Nulla ars therapeutica veram phthisin pulmonalem sanare valet.
3. Remedia specifica non exstant.
4. Salivatio, quae inter curam inunctionis aegrotos afficit, critica non est.